



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)



PRÆFATIO.

Accipe, amice Lector, Versio-
nis hujus Partem XVIII. ea
complectentem, quæ Sæcu-
lo XII. exeunte in Ecclesia Christi
gesta sunt, haud minus quam præ-
cedentia Historiæ studiosis jucunda
& utilia. Leges, quantam calamita-
tem Albigenses & Waldenses, vete-
rum Manichæorum progenies, dum a
Fide & Communione Romanæ Eccle-
siæ contumaciter recesserunt, in varias

) (2

pro-

PRÆFATIO.

provincias, maxime in Occitaniam invenerint. Occurret Concilium Lateranense III. Oecumenicum XI. in quo, præter salubres Constitutiones, etiam de Electione Romani Pontificis actum. Utque contra Schismata in posterum caveretur, statutum est neminem, nisi a duabus Cardinalium partibus electum, pro Pontifice Romano habendum esse. Leges, Urbem Hierosolymam, annis abhinc octoginta octo, Duce Godefride Bullionio, a Christianis occupatam, inscrutabili Dei judicio, in Saladini & Musulmannorum potestatem denuo redactam. Qua facta jactura, nec FridERICI a *Barba Rossa*, fortissimi Imperatoris, qui in pulcherrimo conatu gloriose occubuit, in Terram sanctam profectio, nec Regum Francorum & Angliæ in tertia Christianorum expeditione molimina, rem in Palæstina repara-

PRÆFATIO.

re ac restituere valuerunt. In hac quoque Historiæ periodo Urbs Constantinopolis a Latinis capta est, quod Græcorum animos, in Religione jam diu vacillantes, a Romana Sede usque adeo avertit, ut quemadmodum bene notat Fleurius, illa demum ætate Communionis spiritualis vinculum, utramque Ecclesiam utcunque connectens, penitus abruptum dici possit.

Huic etiam Parti Historiæ Ecclesiasticæ inserta est Auctoris Fleurii Dissertatio, de cuius pretio & soliditate Lectorum Eruditorum iudicium fit. Illud vero ex ea exploratum fit, posse Scriptorem Historiæ Catholicum, qualis Fleurius est, quem ipsi Protestantes a Scientia Rerum Ecclesiasticarum & candore animi commendandum existimant, nihil silentio præterire, imo etiam expedire, ut propriæ Ecclesiæ

PRÆFATIO:

abusus & vulnera non dissimulet, sed sincere referat, sicque efficacius contra eosdem Adversarios demonstret, his omnibus non obstantibus, tantum Ecclesiæ Romanæ, utpote antiquissimæ, perpetuæ, & soli per tot Sæcula visibili, notas veræ Christi Ecclesiæ convenire, ac proinde non immerito omnium prudentum risu excipiendam & explodendam esse Domini Windheim stultitiam, cum dicit, in seinen Anmerkungen zu Mosheims allgemeinem Kirchenrecht der Protestanten auf der 436. Seite; Die Römischkatholischen machen uns zu Rebellen. Allein ihre Vorwürfe sind tausendmal beantwortet, und sie sind zum Stillschweigen gebracht.

Ita homo iste, qui Catholicorum libros non legit, in scholæ suæ angulo, & præjudiciorum tenebris, nœnias fabulasque contra nos discipulis suis proca-

citer

PRÆFATIO.

eiter venditat. Multo atrocius & in-
humanus Auctores, Novellæ literariæ,
des Neuesten 1762. pag. 244. totas Ca-
tholicorum provincias & Regna sper-
nunt ac calumniantur, cum scribere au-
dent: Weil dadurch (nämlich durch
deutsche von allen Wissenschaften ver-
fasste Bücher) allererst Unwissenheit und
Barbarey von einem ganzen Volke ver-
trieben wird. Ein duzend gründliche,
aber lateinisch gelehrte Männer, ma-
chen gewiß ein ganzes Land nicht klug,
gescheid, und gesittet; wenn alle übrige
Stände und Lebensarten in Einfalt
und Dummheit gelassen werden; wie
wir bisher an den katholischen Ländern
in Deutschland, Böhmen, Pohlen, und
Ungarn gesehen haben. Quasivero in-
ter Catholicos nulli Libri lingua ger-
mana & patria de Fide, de Religione,
de moribus, de educatione liberorum, de

PRÆFATIO.

omnibus Artibus & Naturæ arcanis scripti extarent ?

Hinc Aristarchi isti maledici conqueri jure non possunt, si convicia in alios jacta a Scriptoribus, rei insolentiam juste indignantibus, in auctores remittantur.

Monendus etiam es, Lector Benevole, originem S. Ordinis Prædicatorum, in imagine, huic Parti præfixa, exhibitam, in primo Libro Partis sequentis XIX. inveniri. Quamvis enim eodem tempore extiterint Ordinum Præd. & FF. Minorum sancti Fundatores, in Figuris tamen æneis separandi videbantur. Lege & vale.



CON-